

1287

I C O D I C E S

1288

*Rer. Mogunt. Nic. Serarii in Collect. G. Chr. Joannis T. I. P. 2. p. 707. lego: Irrepsit Moguntiam hisce temporibus (sub Conrado II. electo 1388) Waldensium hæresis, adeo ut ea infames XXXVI. ciues Bingam abducti et ibidem igne plexi sint.*

XXXVI. fol. 289. *Traçtatus de periculis Ecclesie*, addidit aliam manus, *compilatus per Vniuersitatem parisiensem*. Est vero *Guilhelmi a S. Amore Codd.* etiam *DXLIII.* et seqq. repræsentatus, incipiens: *Ecce videntes clamabant foris Angeli pacis amare flebant &c.* et alias inscriptus *de Periculis novissimorum temporum*. Ultimus hic paragraphus *C. XIV.* qui infit: *Si autem cetera prædictorum &c.* deest.

CCCXXX.

801 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 118. 8. eleganter exaratus, et rubricis distinctus hunc Titulum præfert: *De Prescientia dei et Predestinatione. Caput Primum Prime Libri Partis.* Initium: *Cum omnium quæ operatur trinitas prescientia eius dispositio et uoluntas actum precedat. oritur inuestigatio de prescientia dei. de prouidentia. et predestinatione. de uoluntate dei et potestate &c.* Opus ad causam *Godescalchianam* pertinens in manus tibi venisse putes. Verum insuntis in prædictum argumentum *Capitibus III. Caput IV.* ita orditur: *Nunc de illa parte fidei est agendum. quæ ad sacramentum incarna-*

*tionis pertinet. &c.* Ita *V. de libero Arbitrio, VI. de tribus Virtutibus, quibus domus dei construitur, VII. de Timore Dei, VIII. de Baptismo &c.* tractat, ut adeo *Συμμικτα* potius *Dogmatico* — *Ascetica* tradat *Autor ἀνωρυμος*, quam *Opus* aliquod partibus inter se nexis constans. *Pars* ejus *I.* censet *Capita XXX.* quorum ultimum exponit locum *Pauli I. Cor. 13.* de *Caritate. Pars II. Capitum* totidem incipit: *De his qui edificant super fundamentum quod est Christus &c.* *Pars III. Capitum XXIV.* orditur de *tribus Silentiiis* in illud *Sap. 18. Cum medium silentium tenerent omnia, et exit in prolixum Augustini super Genesim* locum, qui terminatur: *in ara cordis. igne feruide karitatis.* *Autor*, ut videtur, *Monachus* sua numeris amat includere; ita identidem legas: *Tria sunt, quæ &c. Quatuor sunt, in quibus &c. Septem sunt, quorum &c.*

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 410 XIII. Folior. 73. 4. commode perscriptus *Libros IV. An. Manl. Sev. Boethii Scriptoris Sec. VI. de Trinitate* cum *Commentario* ita continet, ut *columna interior angusta Textum, exterior lata Expositionem* repræsentet. Est vero *Expositio* hæc, quod quidem *Codex* tacet, *Gilberti*, non *Abbatis Ursicampi O. Cist.* ut e *Jac. Phil. Bergomensis Supplem. Chronic.* refert *Vischius* in *Bibl. Cist.*